

sed tamen ita libere affirmare sententiam hanc quam dicunt esse tot gravissimorum, et catholicorum auctorum, esse etiam sententiam Calvinii, ut facit p. Alarcon tract. IV de prædestinatione, disp. V, cap. I, n. I et VII, fateor me ignorare quomodo christianæ charitati, modestiæque conveniat. Nec video qua fronte disputationes, quæ inter catholicos, et religiosos viros sine contentione, ut Apostolus monet, sine amaritudine, et felle, solius veritatis indagandæ causa, tractandæ sunt, ad tam amara verba, imo gravissimam contumeliam reducuntur. Sed ne in causa hujus injuriæ, et perperam objecti nobis Calviniani erroris toties hæerere videamur, et silentium atque indefensio veritatis in D. Thoma et tot illustrium Thomistarum sententia non patientiam operetur, sed ignominiam, et defectum, ostendam, objectionem istam ex sola, et mera calumnia aut ignorantia posse procedere: verissimum est enim quod Spiritus sanctus proverb. X nos consolatur, et docet: *Qui contumeliam profert, insipiens est.*

XX. Calvinus in suo errore persistens dixit Deum sua motione, et efficacia nostrum tollere arbitrium, ideoque excitantem gratiam denegavit, et solum posuit gratiam moventem motione ita cæca, quod sublata omni excitatione indifferenti, libertatem quoque everteret, et ageret nos, sicut agitur equus a sessore, quem solum fræno, et calcaribus agit, non consilio, et excitatione. Hoc errore imbutus hæreticus, consequenter posuit decretum divinum æque agere, et prosternere nos in peccata, et in virtute, nec minus esse opus Dei traditionem Judæ, quam conversionem Pauli, quia cum per divinum illud decretum tolleretur rationem liberi, et voluntarii a nostris actibus, excludebat

consequenter omnem rationem malitiæ, et aversionis, quæ pertinet ad formale peccati; et sic ex decreto divino nos dixit impelli in malum, et in damnationem in executione nulla habita ratione demeriti, et culpæ ex parte nostra. Quod est ponere reprobationem divinam, non solum incipere in ordine intentionis ex voluntate excludente a fine ultimo ante prævisa seu præsupposita demerita, ut motiva illius voluntatis intentivæ, sed etiam in executione nos damnare, atque excludere a regno, sine ullis demeritis, et culpa ex parte nostra, quia ipsa efficacia decreti talis erat, quod in executione tolleretur culpam, et rationem peccati ac demeriti; et sic in executione etiam condemnaret et excluderet a regno, non ex vi demeriti, sed ex sua voluntate sic impellente, et prosternente nos, et libertatem nostram. Hic est sensus Calviniani, et execrandi erroris, hæc ejus sententia fuit, ut abunde probatum est a nobis supra disp. III, articulo ultimo, et præcedenti tomo, disp. XX, art. V et VI, et aliis locis.

XXI. Jam vero, qui hunc sensum Calvinii perspectum habuerit, qua fronte potest talem errorem sententiæ D. Thomæ et Thomistarum objicere, cum potius S. Thomas quasi præveniens hujus hæretici blasphemiam, et hanc in suam sententiam calumniam, sic scripserit in contra gentil. capite ultimo: « Sic igitur patet, quod prædestinatio, et electio, et reprobatio est quædam pars divinæ providentiæ secundum quod homines ex divina providentiâ ordinantur in ultimum finem: unde per eadem manifestum esse potest quod prædestinatio, et electio necessitatem non inducunt, quibus ut supra ostensum est, quod divina providentiâ contingentiam a rebus non aufert. » Cum ergo S. Thomas

ponat in articulo tertio hujus quæstionis, quod reprobatio dicit providentiam, quæ includit voluntatem permittendi culpam, et inferendi damnationis pœnam, solum ponit voluntatem, seu providentiam reprobativam antecedenter ad permissionem culpæ, et antecedenter ad demerita, ut motiva illius intentionis, sicut supra diximus de electione ad gloriam ante prævisa merita, ut motiva, cum enim sit causa illorum meritorum, et sit etiam causa ex fine præintento permissionis demeritorum quomodo potest intelligi, quod illa non præveniat; et sic non utatur illis ut motivis antecedentibus se, sed ut consecutis? Quod totum currit ordine intentionis; ordine tamen executionis non datur illa gloria intenta sine meritis, nec illa condemnatio sine demeritis, et vera culpa, quia illa providentiâ, etiam si sic antecedit ordine intentionis, et etiam si sic moveat ad executionem, non tollit contingentiam, et libertatem, sed causat, ut sæpe a nobis est ostensum, quia ob sui universalissimam rationem etiam est causa libertatis nostræ. Quomodo ergo stat hoc cum errore Calvinii, qui ponit decretum Dei reprobativum, et prædestinativum, non solum ordine intentionis antecedens merita, et demerita ut motiva, et causas sui (in quo cum ipso non est disputatio) sed etiam in executione omnia demerita, et rationem culpæ in nobis tollens, et sic decernens reprobationem antecedenter, quod tollat in executione libertatem? Solum quia Calvinus posuit illud decretum antecedenter movens, et Thomistæ ponunt etiam antecedenter se habere ad nostram voluntatem, ex hac solum generali ratione, seu nomine antecedentiæ voluntatis isti auctores errorem Calvinii esse sententiam Thomistarum; cum isti po-

nant decretum antecedens, causans, et fovens libertatem, dansque excitantem gratiam, et non solum pure moventem; ille ponat decretum antecedens ita pure movens, quod tollat indifferentiam, et excitationem, et libertatem. Multiplex potest esse antecedentia libertatis, non una; antecedit causa libertatem servans, et causans, antecedit et destruens. Ergo qui ponit antecedentiam causativam, ponit destructivam, ut Calvinus? Hoc fundamentum habet libido gravandi sententiam Thomistarum.

ARTICULUS II.

Utrum ex parte reprobi detur causa reprobationis?

I. Supponendum est primo, tamquam certum, quod si reprobatio inadæquate accipiatur pro actu justitiæ punitivæ, et ipsa exclusio a regno pro pœna in executione inflictâ, necessario debet assignari causa reprobationis ex parte reprobi, scilicet demeritum, et culpa propter quam damnatur. Cujus rationem recte assignat S. Thomas ad Annibaldum, dist. XLI, quæstione unica, art. III: « Quia voluntas damnationis respicit rationem voliti ex parte damnati, cum damnatio ex debito inferatur. » Ergo necessario supponit culpam, seu demeritum ex parte hominis, quia debitum quod respicitur a justitia condemnante, et puniente solum est debitum culpæ, seu demeritum. Et ita super caput IX ad Rom. lect. II, dicit quod: « Præscientia peccatorum potest esse aliqua ratio reprobationis ex parte pœnæ. » Et Augustinus III contra Julianum, c. XVIII: « Potest, inquit, Deus aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est, non po-

test sine meritis damnare, quia justus est. »

II. Supponendum est secundo non agere in præsentia de causis, aut motivis, quæ in negotio reprobationis se tenent ex parte Dei, sed solum de motivo, seu ratione ex parte hominis: nam de causis ex parte Dei nulla est controversia: constat enim ipsum esse unicam causam efficientem prædestinationis, et reprobationis: ipse est enim qui Jacob dilexit, et Esau odio habuit; ipse qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum Dei; ipse qui regnum, et gehennam paravit. Constat etiam finalem causam ex parte Dei esse ipsius gloriæ ostensionem, sive per misericordiam in vasis misericordiæ, sive per justitiam in vasis iræ, quia, ut ait Apostolus Rom. ix: *Deus volens ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, etc.* Sola ergo est difficultas de causa non finali, nec efficienti, sed demeritoria aut dispositiva ex parte nostri, quæ etiam motiva dici solet, an Deus reprobet aliquem, præsupponendo in eo causam demeritoriam, qua dignus sit reprobari.

III. Reducitur ergo difficultas ad reprobationem, non ut est actus puniendi tantum, et damnandi in pœnam, sed ut est denegatio alicujus beneficii indebiti, et exclusio ab illo, an supponat in reprobo qui excluditur, aliquam causam, ita ut procedat a Deo etiam in ratione denegati beneficii secundum formam judicii supponentis indignitatem, et demeritum. Est autem duplex beneficium a quo fit rejectio, scilicet gratia, tum habitualis, quæ excluditur per peccatum, tum actualis quæ denegatur a Deo, cum quis permittitur peccare, et est gloria, a qua fit rejectio tum negativa, cum

quis non eligitur aliis electis, tum contraria, cum quis privatur illa in pœnam, et per modum condemnationis. Similiter est duplex status reprobationis: quidam qui modo de facto contigit in hominibus, quorum reprobatio fuit facta post permissum peccatum originale in Adam, et in cæteris ejus posteris qui contraxerunt illud. Et hoc ideo quia reprobatio non fit nisi post prædestinationem: rejectio enim sequitur electionem, non antecedit. Electio autem, et prædestinatio hominum facta est per Christum ut redemptorem, et per media redemptiva, quæ a miseria, et a massa perditionis eripuit electos; et sic supposuit peccatum, etiam in posteris Adæ: ergo a fortiori id supposuit reprobatio. Alius status est reprobationis, quæ non supposuit peccatum originale, ut in Angelis.

Et difficultas modo est in duobus.

Primum, an reprobatio sumpta pro efficaci exclusionem a gloria, et non solum a gratia petat ex natura sua fieri ex præsuppositis demeritis, et indignitate subjecti; an vero ante omnem malam dispositionem, et indignitatem prævisam, detur in Deo; an vero incipiat reprobatio in Deo a rejectione a gratia, et deinde procedat ad rejectionem, seu reprobationem a gloria, supposito peccato, et amissione gratiæ, quæ est indignitas subjecti.

Secundum est, an saltem ut de facto in hominibus reprobatio facta est, supponat causas, et demeritum, scilicet ipsum peccatum originale, sive pro excludendo a gloria, sive a gratia. Et idem erit in eo cui jam est remissum peccatum, sive originale, sive actuale; an ut iterum permittatur peccatum, quod est quædam rejectio, et reprobatio a gratia operetur tamquam motivum aliquod peccatum, sive ipsius hominis, sive

ipsius Adam, virtute cujus non solum tamquam beneficium indebitum Deus illam gratiam deneget, sed etiam justo judicio derelinquat, et veluti in pœnam alicujus peccati.

IV. In hoc ergo puncto est varietas sententiarum, et major varietas circa secundum punctum quam circa primum. Igitur circa primum duplex est principalis sententia juxta ea quæ retulimus præcedenti articulo. Nam qui censent exclusionem a gloria ita esse de secundaria intentione Dei, ut solum detur in pœnam, et supponendo indignitatem subjecti, quia non docet divinam bonitatem primo, et per se velle exclusionem æternam alicujus a fine ultimo, censent quod talis exclusio, nec per modum punitionis, et damnationis, sicut jam dictum est, nec per modum simplicis denegationis beneficii indebiti datur in Deo ante prævisa demerita, præsertim cum ejus executio de facto non fiat nisi per modum punitionis, et vindictivæ justitiæ. Ad quid ergo Deus denegat per modum beneficii indebiti, quod non nisi per modum supplicii irrogandum est? Quod vero Deus intendat justitiam exercere, et ad hoc ut justitiæ detur materia puniendi, permittat mala, omnino indecens, et indignum videtur divina bonitate. Non negat hæc sententia Deum potuisse hominibus vel Angelis denegare suam gloriam relinquendo omnes vel aliquos in puris naturalibus, et tunc non est dubium quod per modum simplicis negationis hujus indebiti beneficii excluderentur illi a regno cœlorum, non tamen per modum reprobationis. Cæterum modo pro isto statu, in quo nullus excluditur a regno cœlorum, nisi per modum damni, quia omnibus proposita est gloria ut finis assequibilis, et media ad ipsum necessaria sunt illis volita, non habet locum exclusio a regno, ut ne-

gatio simplex indebiti beneficii, sed ut damnificativa et damnativa hominum, quia illis mediis usi non sunt; et sic semper est de secundaria intentione Dei, et supponit demerita prævisa.

Tenant hanc sententiam, qui in articulo præcedenti allegati sunt pro ea sententia, quæ docet reprobationem solum importare voluntatem damnativam. Videri possunt plures pro ea sententia apud Villegas controv. xvi, cap. iii; Corneso, in hanc quæstionem xxiii, disput. ii de causa reprobationis; Alarcon tract. iv, disp. v, cap. i et iii.

V. Alia vero sententia tenet, posse dari exclusionem a gloria, et non solum a gratia ante prævisa demerita, tamquam motiva hujus exclusionis, quæ exclusio in ordine intentionis comitantur electionem ad gloriam ante prævisa merita ut motiva eligendi, et dicitur tunc negari gloriam tamquam beneficium indebitum, et non per modum pœnæ, non quia illa ratio beneficii indebiti sit titulus, quo in re, et in exercitio denegabitur gloria, sed quia beneficium esse indebitum est conditio, ut possit ex ostensione justitiæ in his subjectis intendi exclusio gloriæ, seu non eligi ad gloriam. Et licet hæc negativa exclusio non sit positiva reprobatio, si ly positiva sumatur pro damnativa, est tamen positiva, si sumatur pro providentia disponente de his qui decidunt a fine ultimo, et incipit a voluntate non eligente illos ad gloriam de facto, et efficaciter: hoc enim ad providentiam specialem reprobati-vam pertinet, seu ad principium talis providentiæ, quæ sumitur a fine excluso. Tenant hanc sententiam plures Thomistæ, quos citavimus præcedenti articulo et multi etiam videri possunt apud m. Gonzalez hic disp. lxxvii, sect. iv, et cursus Carmelitanus tract. v de prædestina-

tione, disp. VIII, dub. I, assertione II et dub. II, conclusione unica, num. LI.

VI. Circa secundum punctum celebris sententia fuit, peccatum originale fuisse causam reprobationis in hominibus, non solum considerando reprobationem ordine intentionis, ut sequitur ad electionem quorundam ad gloriam, sed etiam in ordine executionis, quia ipsæ permissiones cadendi in peccata, etiam illa quæ est primus defectus reprobationis propter peccatum originale fiunt, et causam habent in ipso reprobo. Quæ sententia ex Augustino visa est aliquibus derivari, eique attributa est qui frequenter docet reprobationem fieri justo iudicio relinquendo reprobos in massa perditionis, sicut electionem, et prædestinationem ex Dei misericordia. Et sic totum negotium reprobationis in hominibus tam ex parte intentionis et finis, quam ex parte executionis, et effectuum damnativa erit, et punitiva juxta hanc sententiam, quia est in pœnam peccati præcedentis, et ante ipsam reprobationem permissi, scilicet peccati originalis.

VII. Cæterum habet hæc sententia contra se duo valde difficilia quæ vix componi possunt.

Primum, quia etsi peccatum originale secundum se sumptum sit sufficiens causa reprobationis absolutæ, tamen respectu reprobationis comparativæ, secundum quod unus præ alio reprobatur, et iste præ illo eligitur, non potest originale peccatum esse sufficiens causa, quia est æquale in omnibus, et sic non præstat fundamentum illius inæqualis discretionis.

Secundum, quia peccatum originale in multis remittitur, qui tamen postea damnantur, et excluduntur a regno: ergo talis exclusio non potest fieri in virtute alicujus

peccati originalis, quia si supponitur remissum, non potest operari ad rejectionem a gloria in pœnam sui, et in vi demeriti.

VIII. Propter hoc conati sunt diversis viis auctores aliqui hanc sententiam moderari. Et aliqui dixerunt peccatum originale non esse universaliter causam reprobationis, quia in his quibus remissum est, causa reprobationis esse non potest, sed tunc peccatum actuale erit causa reprobationis, in his autem in quibus remissum non est, ipsum originale erit causa reprobationis, vel solum ut in parvulis, vel simul cum actuali, ut in adultis, qui cum originali decedunt. Ita attribuit ipsi Soto super caput. IX ad Rom. Bagniez I par. qu. XXIII, art. V, dubio ultimo. Alii dicunt peccatum originale non posse esse causam comparativæ reprobationis unius præ alio, quia in illo peccato omnes sunt æquales, bene tamen ipsius reprobationis absolutæ, id est, secundum se consideratæ. Vel saltem hoc explicant de causa sufficienti reprobandi, et derelinquendi in massa perditionis: hujus enim sufficiens causa fuit peccatum originale, quamvis aliqui dicant de facto Deum non fuisse usum illa, nisi respectu eorum, quibus peccatum originale non est remissum, alii vero, etiam respectu eorum quibus remissum est, dicunt esse causam reprobationis; quam sententiam cum his declarationibus supresso nomine refert Gonzalez hic disp. LXXVII, sect. IV.

IX. Plurimi tamen in hoc persistunt quod peccatum originale etiamsi remissum sit, potest esse causa reprobationis, præsertim loquendo de reprobatione a gratia, seu de permissione peccati, et de carentia auxilii divini, quæ pertinent ad effectus reprobationis, et solum sunt causa reprobationis secundum exe-

cutionem. Et m. Bagniez loco citato refert quinque modos explicandi sententiam illam, quæ Augustino tribuitur, quod originale sit causa reprobationis, inter quos plures conantur explicare qua ratione peccatum originale etiam remissum in parvulis possit esse causa reprobationis, quos multi ex recentioribus secuti, vel imitati sunt, ut hanc sententiam de peccato originali etiam remisso defenderent, præsertim in his, quæ pertinent ad reprobationem, seu rejectionem a gratia, quæ est permissio peccati, et nos effectum reprobationis appellamus.

X. Et in primis p. Suarez lib. V de reprobatione, c. V, præter suam sententiam quæ distinguit de reprobatione negativa, et positiva, et negativæ dicit non dari causam ex parte nostra, bene tamen positivæ, ut præcedenti articulo retulimus, præter hoc inquam, existimat probabile esse peccatum originale in reprobis esse causam denegandi auxilium efficax; objicit autem numero decimo peccatum originale multis reprobis esse remissum, et sic saltem in illis non erit causa negandi gratiam; et respondet posse esse causam talis negationis, etiam originale dimissum, sicut est causa mortis, et aliarum pœnarum, quæ etiam justis infliguntur in vi talis peccati. Quam sententiam alius recentior auctor extendit, Ruiz disp. XIV de prædestinatione, sect. IV, et sequenti, affirmans ob peccatum originale proprium, quemlibet reprobari, et negari illi auxilium congruum ad perseverandum. Et objectioni de peccato originali jam remisso, respondet sectione sexta ob illud Deum voluisse ab æterno denegare perseverantiam, licet de facto voluerit remittere originale: de se enim peccatum illud merebatur perpetuo carere gloria, et perseverantia in

bono, potuitque Deus ob illud sic prævisum nolle dare perseverantiam, licet de facto remitteretur. Et ulterius urgenti argumento, an Deus homini jam justificato, et originali remisso denegat in pœnam illud auxilium, cum culpa fit jam remissa, respondet sect. VII, num. V et VII, et alibi sæpe, quod talis denegatio si fiat ante remissum peccatum, erit in pœnam illius: si post peccatum remissum, non habebit rationem pœnæ, sed effectus peccati, qui manet etiam in justificatis, sicut manet concupiscentia, et mors, et aliæ pœnalitates, quæ in renatis, et justificatis non sunt peccati pœnæ, sed pœnalitates, et effectus relictii.

XI. Secundo, alii distinguunt de peccato originali, prout consideratur in primo parente, et vocatur ab aliquibus peccatum originans, seu quasi activum, et causans peccatum in parvulis, et de peccato originali in filiis Adæ jam contracto, et ipsis passive communicato. Hoc secundo modo consideratum peccatum originale, prout in parvulis, si semel sit remissum, dicunt non posse esse causam reprobationis, aut negationis gratiæ. Et idem dicunt de quocumque peccato actuali jam remisso, quod non potest esse causa motiva denegandi gratiam, et reprobandi illum cui remissum est, etiam peccatum ipsum Adæ quatenus personale fuit in ipso. At vero primo modo considerato peccato Adami, ut est peccatum capitis, quod est punibile in filiis tamquam in membris suis, dicunt esse rationem motivam, quare Deus reprobat aliquem a gratia congrua, seu permittit illum cadere in peccatum: omnia enim hæc sunt in pœnam peccati Adami. Ita ex Vasquez hic disp. XCV, c. IV et ex aliis docet Alarcon hic tract. IV, disp. V, c. III, conclus. II et III. Imo Vasquez, capite sexto loquens de parvulis, quibus nul-